

« dixerit vobis facite. Sciebat quidem Mater ejus « humanitatem Filii sui, licet hoc modo videretur « negare quod posebatur. Mater tamen sciens pietatem Filii, quod negare nollet, quod petebatur, « fiducialiter mandavit ministris, ut mandata implerent jubentis Filii. » Abnuat Christus se facturum, quod petitur, negat quod postulat, et tamen pia, nequaquam impatiens, aut indignans, quo virtutem perseverantiae ostendat, adhuc obstans, perseverat; qui enim propter peccatum perseverantiam negligit, praeter injuriam quam Deo facit, stultus est, et sibi ipsi, multorum damnorum causa est, nisi perseveret.

S. Apostolus scribens ad Galatas, in 3, ad perseverandum in bono feliciter incepto, his verbis eos hortabatur: *Sic stulti estis, ut cum spiritu ceperitis, nunc carne consumemini? Tanta passi estis sine causa?* Hic duo praecipue tangit valde efficacia motiva ad perseverandum exstimulantia. Primum est quia stultum esse censetur quod quis spiritum rejiciat, ut carni adhaerescat; alterum vero, jactura omnium meritorum bonorum operum, utpote quae nobis non prosunt, nisi in illis ad ultimum usque spiritum perseveremus. Timeant ergo animae fideles, sed non adeo in divinorum praeceptorum observantia stabiles et perseverantes. Unicus enim venti flatus, unicus superbiae spiritus, unicus turbo odii aut vindictae, unica denique nimis effervescentes effrenis aetas, ad perdenda omnia bonorum operum, multis annis exercitorum, merita, abunde sufficit: *Tanta passi estis sine causa.*

f. — Haec pueri Jesu responsio: *Quid mihi et tibi est, mulier, prima facie nonnihil aspera videtur, maxime cum ut S. Bonaventura notat, adeo se erga sanctissimam Matrem suam obsequiosum semper exhibuerit: Et erat subditus illis. Nihilominus, dubium hoc, pulchro morali documento, solvit S. Maximus, dum postulationem hanc temporalem fuisse considerans scribit: « Ideo ut reor, quia « de defectu carnalis poculi, suggererat... » et reliqua ut supra. In oratione siquidem postulanda sunt bona caelestia et ad aeternam salutem spectantia, terrena autem non nisi in quantum ad illa obtinenda conferunt.*

Salvator noster Apostolos ad gratias ab aeterno Patre suo poscendas exhortans, eisdemque de exauditione certificans, post haec verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, propterea subiungit: Usque modo non petistis quidquam.* Notandum est vero Christum hoc in ultima Coena illis dixisse, quando certum est, cum multis illis contulisse gratias, et ad illorum instantiam multa patrasse miracula, ambosque fratres Jacobum scilicet et Joannem primas in regno ipsius postulasse sedes. Sed usque eo nihil ab aeterno Patre petierat, neque a Salvatore, nisi solum temporalia quae sunt quasi non sint. Albertus Magnus ponderans verba

illa: *Si quid petieritis*, inquit: « Hoc est, si aliquid « est, quod petitis; quia vanum et malum, nihil « est. Bonum etiam temporale in se vanum est. » Citatque S. Augustinus, dicentem: « Quidquid « aliter petitur quam quod ad vitam aeternam « cedit, nihil petitur: non quia res omnino nihil « est, sed quia in tante rei comparatione, quidquid « aliud concupiscitur, nihil est. »

g. — Tametsi Deus nonnunquam orationes nostras exaudire differat, hoc tamen non aversionis signum, sed mysterium est. S. Chrysostomus, *Hom. de profectu Evang.*, dicit: « Si differat aliquando « Dominus, non odio facit, nec le aversatur, sed « differendo, diutius apud se conservare vult, sicut « et patres filios indulgentius amantes, quo illos « diutius apud se detineant, quos desiderat videre, « dedit opera, morantur aliquid datur. »

S. Thomas de Villanova varias adducit rationes ob quas nonnunquam celeriter non exaudimur, sed post aliquod tempus: « Primo, videlicet, ad probandam patientiam et fiduciam, quam habemus in « eo, et an amore puro, propter seipsum magis, « quam propter dona, diligamus eum. Secundo, fit « hoc ad augendum desiderium, ut crescente desiderio, crescat etiam donum. Tertio, ut pelendo « promerereamur quod petimus, quod prius forsitan « non promerereamur. Quarto, ne sit vite, quod « praestat, sicut ait S. Chrysostomus, B. Anastasie. « Quinto, quia forte non expedit nobis quod postulamur, quamvis spiritualia videatur. Sexto, quia « forte dedit et ignoramus. Petebas spiritum, dedit « crucem. Flagitabas devotionem, dedit tribulationem. Tibi forsitan magis expedit, quia licet in illa « sit plus solatii, in hac plus est meriti. Propter has « et similes causas Deus aliquando differt petitiones « nostras iustas et pias. »

h. — Circa genuinum horum verborum intelligentiam: *Quid mihi et tibi est, mulier?* fedti variorum haereticorum irrepserunt errores. Continuis autem horum verborum sensus est, quod Christus Dominus, ore sereno atque benigno, ita severe aliquantulum locutus est, non propter genitricem; in ea enim nihil reprehensione dignum dari poterat; sed propter circumstantes, ut nos instrueret, quod in his quae sui muneris erant, ad Patris obsequium et hominum salutem spectabat, nullo carnis aut sanguinis affectu, sed puro tantum in Deum, duebatur respectu. Et ita quoties suspicari poterat carnis amorem interrompere ea quae Patris sui erant, asperere respondet, ad exemplum omnium Ecclesiasticorum, ad quos ordinare spectat ea quae Dei sunt, exequi, nihil horum facere humani alicujus respectu, sed solius Dei intuitu.

i. — Virgo dum dixit: *Vinum non habent*, sacrae Eucharistiae institutionem petere videbatur. Ita D. Irenaeus, *lib. III, cap. xviii*: « Fervore quodam, » ait, « duebatur Deipara bibendi sanguinis Christi

« poculum. » Et ad hoc respondet Christus: *Non dum venit hora mea.* Sed valde mirum quod Christus Dominus ita acerbè Virgini respondeat, dum coelesti convivii desiderio rapiebatur. Eleganter respondet S. Augustinus, *Serm. xii de Temp.*: « Quid vinum « est quod optimum judicatur, quod Architricleus « quaerit sero prolatum, nisi sanguis dominice « passionis? Hoc est enim quod Deus in horam « suspendit. » Quando fervida acceleratione Virgo ad caeleste convivium rapitur desiderio, a Christo repellitur, non ob seipsam, quae purissima erat, verum in eruditionem nostram, quia ad mensam tantam non est festinanter sed alta preparatione accedendum.

j. — Ad naturalem horum verborum: *Non dum venit hora mea*, interpretationem proxime accedit, dum inquit Eulymius: « Non dum adest tempus meum ad « edendum quod quaeris miraculum, » et reliqua ut supra, ubi auctor duo vult ponderari. Et primo quidem quod ita caute in operibus nos gerere debemus, ut aliorum judicia, malitiosasque interpretationes vitemus. Secundo, quod tunc adest opportuna temporis occasio, ut Deus auxilietur, cum non unus tantum, sed multorum preces interveniunt. Et ideo non soli nostrae orationi fidendum, verum et aliorum obsecrationibus commendandum, quod impetrare nitimur. Plurimae enim sunt illius orationis prerogative, quae in communi, quam illius quae privatim instituitur. Salvator noster, in Evangelio S. Matthaei, xviii, 19, iis qui cum aliis congregati, suam orationem faciunt, infallibiliter in haec verba promittit: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quaecumque petierit, fiet illis a Patre meo qui in caelis est.* Cujus mox reddit rationem, subdens: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, tibi sum in medio eorum.* Unde Ecclesiae a primis temporibus, usitatum semper fuit orationes potius in communi hominum congregatione, quam separatim instituire. « Quod enim si duo unanimis tantum possunt, quid fiet si unanimitas apud omnes esset, » dicit S. Cyprianus, *Epis. viii.*

VERSUS 5.

Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

1. — Interlinearis dicit: « Etsi videtur negare « Filium, scit Mater pietatem ejus et ideo fiducialiter « imperat ministris. » Eusebius Emisenus, *Dom. II post Epiph.*, ait: « Ipsi se intelligebant, ipsi sua « secreta noverant, ipsi quid tunc fieri oportebat « et quid postea futurum sciebant. » Jansenius ita scribit: « Hic praedictae Virginis dotes relucunt, « mansuetudo scilicet et reverentia Filii, cujus « duriore responso non offendeatur, nec ei vicissim responsabat. Item fidei, fiducia, constantiae.

« Deinde et in intelligendo verba Filii et in prospiciendo futuris prudentia, in subveniendo indefessa « sollicitudo. »

2. — Toletus considerat Virginis praecipuum, quo jusserat, ut prompte Filio suo in omnibus, quae mandaturus erant, obtemperarent: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, quasi diceret: « Quodcumque « etiam grave, etiamvis nihil inutile visum fuerit, « facere non recusatis. » Et ideo quaerit, unde idipsum credendi occasionem acciperit? Respondetque beatam Virginem a Spiritu Sancto illuminatam et per sacram Scripturarum intelligentiam, edoctam fuisse, quod Deus saepenumero ad patrandam miracula adhibuisset res effectui producendo contrarias, aut disparatas, sicut ad aquas sanandas et dulcorandas, *IV Reg. ii*, salis grana aquas injici praecipit; ferrum securis ut ligno jungi posset, super aquas natate fecit, *IV Reg. vi*; vulnus seu plagam Ezechie filius superimpositis sanavit, *Isa. xxxviii*: « Col- « legit ergo B. Virgo, divino lumine docta, aliquid « simile nunc faciendum. »

3. — Dionysius Carthusianus nos docet, qualiter ex his verbis, quae Deipara Virgo ministris dixit, proficere valeamus: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quodsi enim nos executi fuerimus, quidquid nobis Filius Dei praecipit, ipse quoque omnia nobis praestabit, quidquid nos ab ipso postulare verimus. At vero ut Albertus Magnus optime notat: « Virgo « brevissime et lucidissime omnia praedictabilia uno « verbo predicavit, ut quando dixit in nuptiis: « Quodcumque dixerit vobis, facite. » Et quidem tametsi ab Ecclesia denominetur *sedes Sapientiae*, imo licet verbum aeternum in utero suo concipisset, longumque pertulisset cum Angelo sermonem, ipsam tamen alia verba, nisi forte modicissima protulisse non constat, valde tamen illa mysteriis et pondere turgent et cullibet animae ad salutis viam commonstrandam sufficient.

4. — Aliam hujus jussionis rationem tangit Jansenius dicens: « Ne famulorum inobedientia aut « non paratum obsequium obstaret, quo minus concilio vivo subveniretur, caeterum temporis ac rei « gerendae arbitrium Filio tacita relinquens. » Insinuat quoque non esse nobis deponendam in Filium ejus fiduciam, licet patiamur ab eo repulsam; quippe tristissima est sententia: « Quaedam nos « negantur, sed ut congruo dentur tempore, diffe- « runtur. »

Additiones.

a. — *Quodcumque dixerit vobis facite.* Dionysius Carthusianus nos docet, qualiter ex his verbis quae Deipara virgo ministris dixit proficere valeamus: *Quodcumque dixerit vobis facite.* Quod si enim nos executi fuerimus, quidquid nobis Filius Dei praecipit, ipse quoque omnia nobis praestabit, quidquid nos ab eo postulare verimus. Hic enim est virtutis obedientiae fructus, ut orationem nostram omnino

reddat efficacem. Nam, ut S. Bonaventura ait: « Quanto quis altius in obedientie virtute profecerit, tanto ei Deus erit exorabilior, et omnis creatura subiectior et obsequiosior. » Idem S. Bonaventura alio quodam in loco hanc statuit conclusionem: « Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostros exaudit Deus orationes. » Idque se ex auctoritate S. Augustini asserere proficitur. Ideo quoque regius Psaltes suadet, dicens, *Psal.* xxxvi, 7: *Subditus esto Domino, et ora eum;* quasi diceret: Jacito prius bonum fundamentum in obedientia, voluntatem tuam superiorum arbitrio subijciendo, utpote qui locum Dei tenent, et postea, cum fiducia supplicando, ad thronum Dei accede. Porro Salvianus efficacem quamdam assignat rationem cur nonnunquam nec audiamur, nec exaudiamur; dicit enim: « Quæ ratio est ut doleamus nos non audiri a Deo, cum ipsi Deum non audiamus: ut molestum sit despicere a Deo preces nostras, cum præcepta ejus despiciantur a nobis? »

b. — His verbis: *Quodcumque dixerit facite*, beatissima Virgo præceptorum divinatorum nos docuit observantiam, non vero unius vel alterius, sed omnium indiscriminatum. Brevis certe, et pulchra hæc ad beatitudinem acquirendam doctrina; sola enim divinorum præceptorum observantia ad beatitudinem acquirendam sufficit. Nec est quod ideo, quia omnium indiscriminatum mandetur observantia, horrorem concipias, cum illa in sola charitate fundata sit, quæ sola in cælos aditum præbet. Præceptorum observantia, amore Dei, qui omnia quantumvis aspera faciliat, suavis efficitur. Omnia, tam in antiquo quam in novo Testamento, a divino Legislatore promulgata præcepta et leges, unicum dumtaxat sibi propositum objectum habent, Dei nimium dilectionem et amorem. Unde Apostolus ait, *Rom.* xii, 10: *Plenitudo legis est dilectio.* Hoc autem dilectionis præceptum omnia alia nobis facillima reddit, adeo ut viribus nostris superiora nequaquam existant: *Non supra te est, neque procul positum, nec in celo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? Sed juxta te est, in corde tuo. Deut.* xxx, 11, 12. Et hoc quidem Salvator noster forsitan insinuare voluit, dum ait: *Regnum Dei intra vos est;* id est, ut S. Thomas de Villanova, *Serm. de S. Maria Magd.*, ait: « Non a te maria intranda, non terræ lustranda, non orbis terrarum circummeandus tibi est: intra in corde tuo; in visceribus tuis invenies. »

S. Paulus ad *Romanos*, v, 7, scribit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Unde Richardus de S. Viatore de gradibus charitatis tractans, ait: « Offertur omni, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio careat. »

Porro si præceptorum, quæ nobis observanda incumbunt substantiam consideremus, illa nequam gravia esse deprehendemus, sed potius summe facilia. Unde S. Joannes, ii, v, 3, expresse dicit: *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.* Quod si nobis mandasset Deus difficillima, nihil asperum fuisset nimis, in ordine ad assequendum æternæ beatitudinis regnum. Hæc tamen nobis præcipere noluit, sed quid: *Diliges*, rem utique nobis facillimam, ut ipsum amemus.

VERSUS 6.

Erant autem ibi lapideæ hydræ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas; dicit eis Jesus: implete hydras aqua.

1. — Porro vasa ista aquæ capiendæ solum destinata erant, utpote qua sæpe utendum erat ad manus et brachia usque ad cubitos lavanda, ut Maldonatus advertit. Merito autem aquam istam, vasis vino recipiendo aut continendo destinatis, infundi noluit, ne forte aliquis in iis feces aliquas vini remansisse, suspicari posset, quæ aquæ vini calorem et saporem facile communicare possent; vasa autem hæc multa et magna esse voluit, ne ullus miraculi veritatem in aliqua posset suspicionem traducere; denique vasa hæc lapideæ fuerunt, quia ut Albertus Magnus scribit: « In lapide non ponitur vinum, ut ita fieret manifestum, vasa illa esse valde aliena ab illo liquore. »

2. — Hydrarum istarum mysteria multifariam a sacris interpretibus exponuntur. S. Antonius de Padua, *Serm. in Do. II, post Epiph.*, ait: « In Cana Galilææ, id est, in anima, quæ zelo amoris jam transmigrat de vitis ad virtutes, sex hydræ sunt: contritio, confessio, oratio, jejuniun, elemosyna et illate injurie ex corde remissio; hæc sunt, quæ purificant penitentes ab omnibus peccatis. »

3. — S. Bonaventura ait: « Per sex hydras possunt figurari sex opera misericordie; binæ metretæ sunt amor Dei et proximi, tres sunt virtutes theologales. »

4. — Per hydras quoque animas justorum intelligere possumus, quæ in se divinæ gratiæ aquam continent; opus tamen est, ut lapideæ sint, id est, perseverantes et durabiles existant. Unde S. Bernardus, *Serm. xii, ex parvis*, ait: « Lapidææ dicuntur propter fortitudinem, ne facile frangantur vel dissolvantur et effundatur liquor gratiæ, qui in eis continetur. » Et, *Serm. ii, in Dom. II, Epiph.*: « Dicuntur lapideæ, nam tam propter duritiam, quam propter stabilitatem. » Hugo Cardinalis ait: « In istis nuptiis sex hydræ in vinum de aqua mutatae sunt, videlicet umbre legalium operum

« in veritate, varietas et multiplicitas sacrificiorum in unitatem et brevitate; asperitas judiciorum in lenitatem: ænigmata doctorum in lucem, promissiones in ademptionem, servitus in libertatem, et ita aqua timoris mutata est in vinum amoris, quia qui prius dealogum implebant ex timore, modo implent ex amore. »

Dicit eis Jesus: Implete hydras aqua.

5. — Non præcepit unicum tantum vas impleri, quod convivii necessitati sufficere, imo superabundare potuisset, sed multa impleri voluit; unde Albertus Magnus ait: « Dicit quantitatem vini ex numero vasorum, quæ oculari non poterant, quia si unum vas fuisset et parvulum, credi potuisset occulte illud esse allatum cum vino: sed plena sex vasa oculari non possunt. »

6. — S. Bonaventura intercessionis Mariæ efficaciam his verbis considerat: « Ex hoc patet, quam honorifica et quam pia, et quam sedula, et quam virtuosa advocata est beata Mater apud Filium, cui a quolibet est dicendum: Mulier sancta es, ora pro nobis Deum. » S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Quantus honor debeatur parentibus ostendit, cum statim ad actum propter Matrem accedit. »

7. — Albertus Magnus notat Christum dixisse: « Implete, abundantissime suæ largitalis ostendens beneficia. » Unde in Collecta quadam Ecclesia legit: « Abundantia pietatis tuæ merita supplicium excadit et vota. » In aliis miraculis patrandis usus est vel verbi sui imperio, vel tactu manus, nonnunquam etiam oravit et flevit; hic autem: « Sine omni verbo et sola Domini voluntate in optimam vinum conversæ sunt aquæ. » Cur ita?

8. — Dubium hoc idemmet Auctor duabus rationibus solvit: Prima est, qui cum miraculum istud in humane necessitatis subventionem patratum non fuerit, minime usus est multo studio: secunda est, quia hoc fecit, quod in illis, quæ hoc fine patravit, resistantiam aliqualem, vel contra nisum, sibi fieri expertus fuit, sive per peccatum, sive per recipientis modicam fidem: in aliis vero creaturis irrationalibus contrarietatem nullam invenit, ob potentia obedientialis respectum.

9. — Theophylactus hoc loco quærit, an Christus vinum ex nihilo creare potuerit, absque eo quod aquam mutaret? Et respondet affirmative. Et quidem Hugo Cardinalis, Chrysostomi auctoritatem citans, miraculum in tali casu longo præstantius futurum fuisse existimat: « Mirabilis enim esset ipsum vinum ex non entibus facere, quam qualitatem commutare; » cui tamen Theophylactus respondet, quod, tametsi miraculum istud in tali casu futurum fuisset mirabilius, non tamen credibilis; et hoc fine ministros hydras aqua adimplere, non vero vinum in iis miraculose enasci aut creare voluit, « ut testes miraculi sint ministri, » inquit

Theophylactus, « qui aquam infuderant. » Chrysostomus, *Hom. xxi, in Joan.*, dicit: « Ut miraculi testes haberet ipsos, qui aquam hausissent, ne qua fraus, ne quod præstigium putaretur; insuper ut discamus, quod ille sit, qui et in vite liquorem aquæ in vinum convertat. » Rupertus Abbas ait: « Non de nihilo creavit, sed de compingenti elemento fecit, sicut de aqua, quam singulis annis per vites ex radicibus abscedentem in vinum convertit, præcepto quod posuit et non præteribit, quod qualiter fecerit, credi potest, investigari non potest; sed profecto mirabilis est aquam de nihilo creasse, quam vinum de aqua fecisse, mirabilis quippe est quilibet substantiam, quæ non erodit, condere, quam substantie jam existenti quolibet accidens adjicere. »

10. — Idem Chrysostomus notat, quod aquam in vinum transmutando, Manicheorum hæresim voluerit condemnare, qui mundum cum universis creaturis sum esse et originem a demone habere, ab eoque gubernari asserere audebant. Ostendere igitur voluit, se elementorum et cunctarum creaturarum Dominum esse, unico dumtaxat nutu unam naturam in alteram transmutando, cum ipsi omnia perfecte obediant.

11. — Docere nos quoque voluit, quod gratiam aliquam a Deo impetrare volentes, aliquid etiam ex parte nostra cooperari debeamus. Eliseus aliquid olei in vasa fundi voluit; ad hoc illud multiplicaret; Naaman quoque sanare voluit, ita lamen ut in aquis Jordanis septies se lavaret; Deus Tobiam quidem lumen oculorum restituit, sed fellis tactu interveniente: ita quoque vinum dare voluit, ita tamen, ut ministri vasa prius aqua implere deberent.

Additiones.

a. — *Erant ibi sex hydræ lapideæ.* Aderant in mensa alia pocula, aderant et alia vasa; sed ad miraculum patrandum hydras eligit; erant enim ad Judeorum purificationes positæ, et purissimæ erant. Et ideo non incongrue dici potest quod hydræ ad hanc vini conversionem eliguntur, quod illa sacram Eucharistiam adumbraret; tanti enim mysterii figura in mundo purissimoque loco receptaculum suum tantum habere poterat. Si autem tanta puritas figuræ exhibita, quæ igitur non est exhibenda figurato?

S. Thomas de Villanova Salvatorem nostrum summan semper puritatis curam habuisse, his verbis considerat: « Omnia munda vult Auctor puritatis. Mundam matrem elegit; mundum discipulum dilexit; mundam sindonem involutus est; mundo in tumulto et in quo nondum quisquam positus fuerat, tumulatus est; ab his qui sunt mundi corde, videtur; et ab his qui sunt mundo corpore possidetur. »

b. — Considerat hic S. Gaudentius, *tr. ii*, quod

in unoquoque homine sex inveniuntur, scilicet visus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attractio manuum, incessus pedum. Qui sensus cum velut hydræ voluptatis aqua repleti sunt, pro contemplationem, in vinum gaudiorum celestium aqua hæc converti debet. Mundus enim ejusque voluptates facile ab eo contemnantur, cujus oculi per considerationem in celestem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quævis adversitas toleratur, utpote quæ, spe æternæ retributionis, suavis esse videtur.

Observastisne aliquando luctam illam quam Daniel quondam in animo suo sustinuit? Obtinebat is apud Darium tantam sui estimationem, ut ab eo ad primam, post regem, dignitatem evectus esset: *Cogitabat constituere eum super omne regnum. Dan., vi, 4;* quod adeo amplum erat ut in centum viginti septem divideretur distinctas magnasque provincias. Et tamen quando sibi deliberandam erat, an obedire vellet edicto regio, pro cujus observantia æmuli ejus acriter instabant, an vero spreto regis edicto, Deum suum vivum et verum adorare, potius præsertim gratiam et favorem amittere et leonibus in prædam cedere, quam Deum vivum et verum deserere elegit. At vero unde illi subnata est generosa hæc accipitis animi resolutio? S. Hieronymus dicit: « Daniel regis jussa contemnens, et in Deo « habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in « excelso, et fenestras aperit contra Jerusalem, ubi « visio pacis. » In illa namque terrestri Jerosolyma celestem agnoscebat, et per immortalis illius regni considerationem, quodvis aliud contemnebat regnum terrenum.

Aptior proposito nostro similitudo adduci nequit, quam sit illa, qua Job, vii, 3, prophetie sue utitur, dum ait: *Sicut dies mercenarii dies ejus; sicut mercenarius præstolatur finem operis sui.* Quæ verba egregie a S. Gregorio considerantur, quia sicut mercenarius agricola omnibus aeris injuriis expositus, arat, occidit, fodit, sudat et laborat, nec eum toto die hosce labores continuare piget, quia ad mercedem, quam ex diurno labore sibi comparat, cor et animum suum directum habet: « Sic electi « quique, dum mundi hujus adversa patiuntur, « cum inhonestates, contumelias, rerum damna, « cruciatu tolerant, esse gravia quibus exercentur, « pensant; sed cum mentis oculum ad æternæ « patriæ considerationem tendunt, ex compara- « tione præmii, quam sit leve quod patiuntur « inveniunt. » Adhucque egregium S. Pauli Apostoli exemplum, qui in cunctis ærumnis suis, quos innumeros patiebatur, jucundum se semper et constantem exhibuit: « Semper seipso robustior, « contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui « operis, sicut mercenarius, præstolatur. » Examina deinde Apostoli miseria et passionis quas ipsemet S. Paulus, in Epistola I ad Corinth., ii,

recenset, concludit: « Sed quomodo remuneratio- « nis linteæ sudores tanti laboris tergat, ipse « denuntiat dicens: *Non sunt condignæ passiones « hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabi- « tur in nobis.* Dum profectum remunerationis « considerat vile aestimat quod pene deliciens læ- « borat. »

e. — « Hydræ lapideæ dicuntur, » inquit D. Bernardus, *Serm. xii ex parvis,* « propter fortitudi- « nem, ne facile frangantur aut dissolvantur. » Nam justi in eis adumbrati, pondere rationis constantes, immobiles in Dei servitio esse debent, si vino consolationum spiritualium repleti desiderant. In servitio enim Dei fortiter desudantes, Deus restaurare assolet consolationibus.

Suam Salvator in collegio Apostolorum fundaverat Ecclesiam: « Isti sunt qui viventes in carne, « plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. » Ast quia tyrannis se sistere, millenasque mortes in novæ religionis fideique confirmationem subire parati esse debebant, ut iis animum viresque adderet, voluit illorum aliquot, et inter eos S. Petrum, sue præsertim adesse transfigurationi, « ut sic anima- « rentur ad sequendam Christum, » inquit Lyranus. Hæcque visio S. Petrum tanta inebriavit Spiritus suavitatis et dulcedine, ut de monte Thaborio recedere detrectaret. « Hanc ut gustavit « Petrus, » inquit S. Augustinus, « omnium effu- « riorum oblitus, clamavit quasi christus, dicens: « *Domine, bonum est nos hic esse; sufficit tanta « dulcedine satiari.* Nam enim stillam ille gusta- « vit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid « putas, dixisset, si magnam illam multitudinem « dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abs- « condisti timentibus te? »

d. — Non in poculis sed in vasis amplissimis creat Dominus hoc vinum. Nam licet ministri parvam aliquam vini affectent quantitatem, tamen nonnisi largissima amplitudo, quæ esset valde abundans, e Dei manibus venire potuit. Pulchre D. Cyrillus Alexandrinus, *lib. IV in Isa., orat. 2,* inquit: « Multo magis optabile esse dicimus lan- « guentibus amore pietatis, ut divinis et intelligen- « tibus madefiant rivalis, et spiritualibus conso- « lationibus. » Si langues amore pietatis, nimioque Deum amandi ardes desiderio, tam mox in te beneficium redditur, ut quocumque te vertas, per communicata tibi beneficia, amorem tuum erga se extimulet; et cum paucis contentus vivere posses, nihilominus, cunctas creaturas ad bonum tuum ipsum ordinasse constat.

Experientia constat, quod illi, vel maxime a nobis amentur, nostrosque sibi affectus rapere soleant qui nobis benefaciunt, suntque de bonis suis erga nos munifici et liberales. Sapiens, *Prov., xix, 4,* dicit: *Divitiæ addunt amicos multos;* paulo infra: *Multi sunt amici dona tribuentis.* Hocque motivo S.

Thomas utitur, ut nobis ardentem erga Deum nostrum amorem inculcet. « Præponderat, » inquit, *op. lxi, 11,* « evidenter Deus qui tibi communicans « et dat sua et se: de donis datis magna et multa « donavit in præterito; donat et donare non cessat « in præsentem, sed maxima et plura donabit in « futuro. »

Richardus de S. Victore, in aureo illo tractatu, quem de gradibus violente charitatis composuit, late nobis qualia sunt vincula quibus Deus corda nostra in ejus amorem astringere voluit, exponit: « *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charita- « tis.* Qui sunt isti funiculi, nisi munera Dei? Quæ « sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia? « Bona naturæ, gratiæ, gloriæ; his enim benefi- « centiæ vinculis, obnoxium fecit et benevolentie « debitorum constituit, naturam condidit, gratiam « contulit, gloriam repromisit: Ecce funiculus « triplex, bona conditionis, bona justificationis, et « præmia glorificationis. »

e. — Divus Ambrosius, *Serm. xii, de Epiph.,* pulchre super hæc hydras secundum purificationem Judæorum expositas commentatur, dicens: « An- « tim dicere illas hydras, non solum illi convivio, « sed universo mundo pretiosam illam ministrare « substantiam, nisi quod nobilissimum administrat. « Constat enim ex ipsis vasculis illos hausisse « christiæm, nos haurire justitiam; illos percere « pisse vini poculum, nos calicem salutis accipere. « Et si dici fas est, apud illos pertransisse quod « liberant, apud nos vero permanere quod sumpsi- « mus. » Hydræ hæc Judæis erant posite secundum purificationem eorum; vinum etiam ministrabant ad temporalem satietatem; hoc cito deficit atque evanuit, eis enim nihil fixum erat, nihil permanens. Aliter vero nobis Christianis, illam largiebatur substantiam, quippe cum salutiferi dominici sanguinis calicem præfigerant in sacrificio Missæ haurire solitum, quid aliud quam spirituale, quam æternum et sublime conferrent? Ex quo ejusdem sacrificii, in quo ipsemet Christus præsertim assistit, primus sacerdos, et hostiæ sublimitas considerari potest.

f. — Vasa illa, cum ad purificationem Judæorum posita essent, purissima erant, ut notat Divus Thomas. Ideo existimo quod hydræ hæc, ad hanc vini conversionem eliguntur, quod sacram Eucharistiam adumbrat. Tanti enim mysterii, quod omnem possibilem requirit puritatem, figura in mundo tantum puroque loco receptaculum habere poterat. Si autem figura talem excolat puritatem, qualem non requirit figuratum?

Notat Cardinalis Baronius, quod in loco lavacri ænei olim inter Tabernaculum Testimonii et Altare positum, ab Ecclesia introducta fuerit pia illa consuetudo, ut in ingressu Ecclesiarum, in promptu sit vas aliquod aquæ benedictæ, qua fideles se conser-

gant, priusquam ad altare appropinquant, laventque faciem pariter et manus. Habuit ritus iste suam a populo electo originem, quibus manus lavare usitatum erat, etiam priusquam ad orationes faciendas se accingerent. Imo et ipsi Gentiles, priusquam templis suis pedem inferrent, lavandi se consuetudinem habebant; siquidem, ut Baronius subjungit, naturalis quidam est instinctus quo homines Deo appropinquare prohibentur nisi puri sint et mundi. At vero qua ratione homo Deo magis approximare poterit quam homo Deo in sacramento et sacrificio Missæ appropinquat, ut ipsemet Dei Filii corpore et animatus, præsertim assistit, nec solum sacerdotum contractetur manibus, verum etiam in sacra communione nobis in-visceratur?

g. — *Dixit eis Jesus: implete hydras aqua.* Divus Ambrosius, in piam valde considerationem raptus, pulchre in hunc locum scribit, *Serm. xii, de Epiph.:* « Cum ex vili aqua optimi saporem vini voluit gustare convivias, hoc signo totum atque resurrex- « tionis mysterium continetur. Aqua enim viliis « pallens et frigida in vinum versa, scilicet, pretio- « sum, rubrum, vel significat hominis substan- « tiam, conditione vilem, imbecillitate pallentem, « morte frigentem, in resurrectionis gloriam com- « mutantem, quæ est æternitate pretiosa, gloria « colorata, spiritu immortalitatis ignita. » Celestis quippe paradisus pro nobis conditus fuit; utpote ad celestem gloriam creatis, ad quam nos Deus super omnia invitavit, licet nos illam negligamus. S. Augustinus, *Serm. xxxviii, de SS. Martyr.,* ait: « Considerate quid dicturus sit ad dexteram posi- « tis: *Venite, benedicti, percipite regnum, quod « vobis paratum est ab origine mundi.* Advertite, « fratres charissimi, quia regnum cælorum nobis « prædestinatum; gehenna autem, non nobis sed « diabolo preparata est. » Creator nostrum, priusquam hominem produceret, prius illi palatium in quo habitaret, præparare, illudque non terram sed cælum voluit; ac proinde, in principio creavit Deum cælum.

h. — Ministri ex jussu Christi Domini, hydras ex abjecta vilique materia implent, et tamen pretiosam vini substantiam inveniunt; minima enim et parva, in obsequium Dei data, amplissima remuneratione compensantur. Sic quoque a multis parum pro cælo datur, quia Deus contentus est accipere quod habemus, etiam solam bonam voluntatem. S. Propheta David, qui eximium quoddam fuit divina sapientie oraculum et vir secundum cor Dei, in spiritu raptus, quanta cum facilitate et quam exiguo pretio, celestis beatitudo a nobis comparari possit, considerans, dicit: *Pro nihilo salvos facies illos. Psal. lv, 8.* Quodquod alio quodam ab ipso pariter perhibito testimonio optime consonat: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabi-*

lem. *Psal.* cv, 24. Divus Chrysostomus ad vilitatem pretii se reflectens; sub quo cœlestis ille et prudentissimus negotiator regnum cœlorum nobis vendit: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori*, dicit: « Ecce et nunc tibi vendit regnum cœlorum, » simulque ostendit negotiatorem hunc contentum esse, ut pro illo accipiat hoc solum, quod habemus: « Si non habes, » inquit, « obolum unde emas, eme genuit. Pro fragmento panis, cœlorum regnum tibi retribuit. Ecce clamat Propheta dicens: *Quis vult emere vitam? Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Non habentes, inquit, argentum, absque argento tollite. « Quid enim querit a nobis Deus? Non habes, » inquit, pecuniam, non compunctionem, non « luctum, non aliud quid eorum que queruntur? « Prohibe linguam a malo, et labia tua ne loquantur dolium et in salutem tibi sufficiet. » *D. Chrys., t. I, Hom. lxxvii.*

S. Augustinus, in *Psal.* xii, valde miratur quod Salvator noster hominibus tam liberaliter condescendat, usum idemque regnum, quod uni sub rigorosissimo pretio dividit, alteri veluti pro nihilo liberaliter dando: « Quid autem, fratres, » inquit, « quam ut regnum cœlorum non solum « Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed et « vidua duobus minutis, et tantumdem ibi uterque « possideant? Quid potius, quam ut idem « regnum et thesaurus diviti, et calice aque frigidæ pauperi valeat? » S. Bernardus quoque pro consolatione nostra scribit: « Regnum Dei tantum « valet quantum habes. » Beda similiter ait: « Regnum cœlestis aliud non querit pretium quam « teipsum; tantum valet quantum es tu; te da, et « habebis illud. Quid turbaris de pretio? Christus « semetipsum tradidit, ut acquireret te in regnum « Deo Patri; ita et tu, teipsum da, ut sis regnum « ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo « corpore, sed spiritus in acquisitionem vite. »

1. — S. Bernardus, *Serm. v. de Nuptiis*, per aquam timorem intelligit, per vinum charitatem: « Quia « multoties, dum cor nostrum timore mortis, acer- « bigue supplicii, ac penarum gehennæ concuti- « tur, mens igne charitatis inflammatur. » Ergo timor Dei filialis, cum amore compatibilis est; servilis vero timor filiale non excludit. At cum vinum multo ipsa aqua nobilior sit, et amor timore, quid est quod, cum Dominus has hydrias generoso vino adimplere intenderit, frigida prius aqua adimplere præceperit? Dominus significare voluit timorem Domini originem et principium esse nostræ salutis. Apposite ideo S. Bernardus ait: « Incutite « metum, et spiritu timoris, non tam vasa quam « corda replete; quia ut ad charitatem perveniant, « initiandi sunt a timore, ut dicant et ipsi: A « timore tuo concupimus, et parturivimus spiritum « salutis. »

VERSUS 7.

Et impleverunt eas usque ad summum.

1. — Nulla adesse hic poterat suspicio, quasi vasis hęc vinum generosum fuisset superimpositum, siquidem omnia ad summum usque ex limpido et insipido elemento impleta fuerant, idque ut Albertus Magnus ait, « ut larga et abundans sit Dei « benedictio. » Enimvero ministri quidem opponere potuissent et Christo dicere, quid frustra illis hunc hydrias aqua adimplendi laborem imponeret, siquidem convivæ non aqua sed vino opus habeant: verumtamen per cœcam quandam obedientiam, impositum sibi præceptum, accuratissime impleverunt; et ideo sicut Christus dixerat: *Implete, ipsi quoque impleverunt usque ad summum.* Ecce præclare præmiatam obedientiam et largiter remuneratam intellectus et voluntatis nostræ mortificationem. Considerandum quoque, quod juxta mensuram aquæ, vini quoque quantitas fuerit, ad innuendum nobis, quod cum illa symbolum sit afflictionum, hoc vero lætitiæ spiritualis et internæ symbolum existat, prout Psalmista, *Ps. xciii, 19*, optime ait: *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

2. — Ex quo vasa isthęc ad summum usque repleta fuerant, alteri liquori nullum etiam minimum locum cedere poterant, ad erudiendum nobis, quod corda amore Dei intus penitus imbuta, cuivis alteri affectui ne vel minimum aditum indulgere debeant. Hinc quoque clare conspicitur, quam liberalis Christus in remunerando existat, siquidem convivio, ad quod invitatus fuerat, per gratitudinem correspondeat, vinum miraculosum, eoque quod prius a sponsis convivis ministratum fuerat, longe præstantius et exquisitius in tanta copia multiplicavit.

VERSUS 8.

Et dicit eis Jesus: Haurite nunc et ferte Architricleino; et tulerunt.

1. — Lucas Brugensis observat, Christum, immediate postquam aquam in vinum transmutesset, vinum illud hauriri, effundi et propinari jussisse, ut tanto manifestus appareret miraculum, quod in tam brevi tempore fuerat paratum: « Ne quis putare « possit aquam fuisse in vinum mutatam vel mora « temporis, vel artificio, vel vi aliqua occulte na- « ture. »

2. — Cur autem vinum istud Architricleino deferri, ab eoque gustari præceperit, id dici potest factum esse, ut nos doceret, quod actiones honorificæ semper incipiende sint ab illis, quibus subordinati sumus, ad insinandum quem majoribus semper deferre debemus respectum; hinc enim Architricleino convivii illius moderatio et regimen

commisum erat. Hugo Cardinalis citat Chrysostomum querentem, cur Christus vinum istud miraculosum non prius sponsis vel aliis conviviis degustandum dederit et respondentem, causam hanc esse, quia Architricleinus nec manducare, nec bibere solet, nisi post alios: « Et ideo sobriior et discretior « est ad iudicandum de vino, quam convivæ, qui « jam sunt repleti cibo et potu. » Exinde quoque discere possumus, illos ad gustandum vinum, id est, consolationes spiritus palatum aptius habere, qui sobrii et abstemii, a gaudiis et recreationibus mundi hujus abstinere.

3. — Insuper S. Thomas, in *Joan.*, ait, Christus præcavere voluit, ne quis veritati miraculi hujus obsistere aut detrahere posset; et ideo illud Architricleino, qui jejunius erat, gustandum dare voluit: « Voluit Dominus, quod ipse judicaret de eo, quod « factum erat et non convivæ, ne aliquis posset « miraculo detrahere, dicens, eos ebrios fuisse et « eorum sensus per comestionem corruptos. »

VERSUS 9.

Ut autem gustavit Architricleinus aquam vinum factam et non sciebat, unde esset; ministri autem sciebant, qui hauerant aquam; vocat sponsum Architricleinus et dicit ei.

1. — S. Maximus, *Hom. in Ep.*, dicit: « Ille « aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio con- « crevit in nives, duravit in glaciem, Egyptiis ver- « tit in sanguinem et Hebræis sitientibus manare « arida de rupe præcepit, que innumerabilem mul- « titudinem populorum, stillicidio novi fons vice « maternorum uberum nutrebat. »

2. — S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cat. myst.* iv, advertit, quod ex hac aqua in perfectissimum vinum conversione, probari possit transmutatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Unde S. Petrus Damianus ait: « Illic Jesus aquam conver- « tit in vinum, hic idem Jesus et vinum semetipsum « fecit et cibum. »

3. — Notandum quoque est, quod, tametsi vinum æque bene ex aere producere potuisset, non vero ex aqua, illud lamen facere noluerit, ut intelligeremus, verum gaudium et lætitiæ in hoc vino significatam, ab aqua lachrymarum et a vera compunctione, conjunctisque aliis penitentiæ operibus, quibus corpora nostra affligimus, derivari, sicut legitur, *Psal. cxxv, 5, 6*: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent; euntes ibant et flevant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantibus manipulos suos.* Vinum unde nuptiæ lætificabantur, non fuit ex urvis expressum, hoc enim in ipso convivii flore et fervore deficit, sed fuit ex aqua productum: *Post lachrymationem et fletum, exultationem infundit. Tob., iii, 22.* Fuit nonnemo, qui pro corpore emblematis vitem præci-

sum, plorantemque sibi assumpsit, eamque hac epigraphæ vivificavit: *Ut mere gaudeam.* Vina quædam inveniuntur, grata quadam acrimonia respersa, tale est vinum illud, de quo, *Psal. lxx, 5*, David ait: *Potasti nos vino compunctionis*: in his namque saccis, ciliicis, jejuniis, gaudium et consolatio spiritualis invenitur: *Concedisti saccum meum et circumdediti me lætitia. Psal. xliii, 12.* Aqua etiam multis in vinum commutatur, qui cum pane, ad mediocrem victum necessario careant, a Deo nihilominus per patientiam et quietem christianam, et cum divino beneplacito conformitatem et consolationibus perfunduntur.

Et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant.

4. — Albertus Magnus ait: « Ut taciturnitas « magna faciens, nobis exemplum vitandæ jactan- « tiæ præberet et ideo noluit, ut ministri magnalia « operum suorum prædicarent. » Toletus ait: « Miranda ministrorum obedientia, sciebant etenim « et viderant patrum miraculum et tamen illud « ne quidem Architricleino, qui illud admirando « obstupescerat, manifestabant; quod non alia de « causa existimo fecisse, nisi quia a Christo tantum « haurire et ferte Architricleino, audierunt, verbum « que Christi prætergredi non sunt ausi, existi- « mantes forte hoc operatum esse, ne vinum defe- « cisse divulgaretur. » Hugo Cardinalis ait: « Illud « nescire nihil aliud est, quam non sentire laborem « penitentiæ cum jam aqua versa est in vinum « spiritualis lætitiæ; sed ministri qui hauriunt « aquam, antequam sit mutata in vinum, bene « sciunt, quia adhuc sentiunt laborem et dolorem « penitentiæ. »

Additiones.

1. — Gustavit Architricleinus aquam vino factam. Deus quidem impleri jubet hydrias aqua, id est, corda nostra vario tribulationum genere, que non immerito aquæ dici possunt. Sed si earumdem hominum recte pensare valeamus, videbimus per eas nos, sicut et aliis modis invitari ad gratiarum actionem, cum eadem, ob magnam quod ex ipsis capimus lucrum, nobis cedant in præstantissimum vinum quoddam spirituale.

Noverat David, utpote mentem lumine celesti illustratam habens, quod optima pro bonis receptis in tempore præterito solutio, sit gratuito animo prompto præstita, presertim dum amarum quis bibit tribulationum calicem; ideoque, *Psal. cxv, 12*, dicebat: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutæ accipiam, et nomen Domini invocabo.* « Non video aliud munus « faciendum pro retributione tanti benefici, » inquit S. Augustinus, « ne ingratus sim, quam ut « calicem salutæ accipiam, et sustineam penas et « passiones, prout ipse sustinuit. »

Sacrificium quidem, quod Salvator noster æternò

Patri suo, de semetipso in ara crucis obtulit, acceptissimum fuit. At vero, hoc aliud quoddam sacrificium antecessit, non minus gratum, nimirum gratiarum actio. Nam quando ad passionem suam adendam se recepit, *Hymno dicto, exierunt in noxam Oliveti*. De quo sacrificio Victor Antiochenus ait: « Ante passionem laudes gratesque Deo depromit, » per hoc ostendens se ultro libenterque pati: tum « nos quoque exemplo admonens ut adversa, si « que nonnunquam sese offerant, grato patienti- « que animo perferamus. »

b. — Adversitates et ærummæ, quas nobis nonnunquam nobis immittit Deus, sicut ipso jubente ministri in hydras, usque ad summum miserunt aquam, sui quoque erga nos ardentissimi amoris mere sunt demonstrationes. *Quem enim diligit Dominus, castigat*, inquit S. Paulus, *Hebr.*, xii, 6; *flagellat autem omnem filium quem recipit*. S. Thomas, *Opusc.* lxi, 11, de Deo nostro ait: « Pre « omnibus est utilis, et ideo propter utilitatem « præ omnibus etiam amabilis. Amplius autem « qua tua mala tecum sentiens, ea tibi alleviat in « presenti; dicit enim: *Cum ipso sum in tribula- « tione eripiam eum, et glorificabo eum.* » Sanctus quoque Tobias ait: *Quoniam tu flagellas et salvas*. Ideoque optime nos S. Augustinus monet, ut Deum agere sinamus ut vult: « Melius novit ille quod tibi « expediat, quam tu, et ob hoc, si vis de eo bene « sentire, totum quod ab illo tibi sit, bene fieri in « tellige; talis est enim amor Dei in nobis, nec quic- « quam omnino humana infirmitas tolerat, quod « ipse quantum in sua bonitate est, ad bonum nos- « trum non disponat. » S. Aug., *de Dilig. Deo*, cap. xi.

c. — Horret humanus animus aquas penitentiae amaras, vitæ rigorem et austeritatem, quæ tamen, licet aliud quidpiam diversum oculis videatur attingere externus, ineffabiles causant spiritus dulcedines, Sacri laceri, et cilicia, angustum Israelitarum Regem solatio, júbiloque replent, in penitentiae oceano: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiis*, *Psal.* lxxxix, 12. Dionysius Carthusianus textum hunc nostri applicat macerationi corporis, quod dum nos castigamus, celestibus Deus restaurat consolationibus: « *Conscidisti saccum meum*, id « est, laboribus penitentiae scilicet abstinentia, vigili- « liis, disciplinis macerasti et afflixisti corpus « meum; et *circumdedisti me lætitiis*, id est, spiri- « tuali exultatione replesti animam meam; post « predictos labores. Qui enim seipsum in labore « penitentiale digne affligunt, omni consolatione « divina refrigerari idonei fiunt. »

d. — Divus Augustinus, *tract.* ix, per aquam inspidam intelligit legem veterem quam veniens Christus in suavissimum vinum mutavit Evangelicum. Lex enim Evangelica non jam timoris sed gratiæ lex est, amabilis, suavis, facilis. *Jugum enim Domini suave est et onus ejus leve.*

VERSUS 10.

Omnis homo primum bonum vinum ponit et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

1. — Lucas Brugenensis ait: « Pulchre his Archi- « triclino verbis exprimitur hujus seculi ingenium « quo primum solet, quæ potiora et gratiora sunt, « inescandi gratia, proponi, deinde quæ viliora sunt « ac deteriora deceptis obtrudi. » Unde in *Prover- « biis*, xxxiii, 31, 32, dicitur: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber et sicut regulus venena diffundit*. Idem quoque Sapiens, *Prov.*, v, 4, 5, lasciviam quamdam describit, juvenes filtris et lenociniis suis pervertente fatigentem, tandem vero concludit: *Novissima autem illius anara, quasi absinthium, pedes ejus descendunt in mortem et ad inferos gressus illius penetrant*; ecce tibi vinum: ecce quam miserabiliter tandem mundi gaudia terminentur. Hugo Cardinalis verba *omnis homo* exponit in sensu, quo Apostolus de homine loquitur, dum ait: *I Cor.*, ii, 3: *Nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?* « De hoc igitur homine « dicit: Talis homo primo ponit sibi et suis præ- « cientes delectationes et cum inebriati fuerint ipse « et sui, id est, repleti gaudio presentis felicitatis, « tunc id, quod deterius est, id est, dolor gehennæ « et remorsus perpetuus malæ conscientie. »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, hominem, tunc bonum vinum a principio ponere dicit, quando a primis annis in perfecta observantia divinæ legis et timore Dei vivit, postea vero in vitam licentiosam declinat et degenerat ut de illo dicitur illud ad *Galat.*, iii, 3. *Sic stulti estis, ut cum spiritu caperitis, carne consummemini.*

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

3. — Enimvero Christi miracula adeo sunt perfecta, inquit S. Thomas, ut affectus naturales longe superent. Sic sorcum S. Petri adeo integræ valetudini restituit, ut subito se ad mense ministrandum accingat, paralyticus sanatus confestim lectum, in quo infirmus decubuerat, in humeris suis domum reportat. Vult etiam, ut in prestantia hujus vini intelligamus, quanto sint consolationes Dei, præ mundi solatiis desiderabiliores, cum nulla sit inter sponsorum vinum et vinum a Christo miraculose procuratum comparatio. « Musto madere deputant, « quos spiritus repleverat. »

ADDITIONES.

a. — *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, id quod deterius est.* Est vinum a Deo creatum in magnam hominis bonum, si eo, prout par, est, homo utatur; magna etiam

abusus vini causat mala. Vincentius Bellocensis de vitio ebrietatis disserens, dicit: « Omne bonum « spirituale dissipant ebriosi, quia ebrietas est mors « omnium virtutum et morum. Ebrietate fit iactura « omnium honorum. Si habeat homo humilitatem, « mansuetudinem, prudentiam et cætera hujus- « modi, omnia projicit in pelagum iniquitatis. Et « sicut ebriosi sæpe vestibus suis materialibus spo- « liantur, sic eorum animæ virtutibus denudantur, » juxta illud *Jerem. Thren.*, iv, 21: *Inebriaberis, atque nudaberis*. Et paulo post et S. Bernardo subjungit: « Ebrietas est virtutum depredatio. » Adde usum vini immoderatum malorum etiam temporalium causam innumerabilium esse.

b. — Frequens est consuetudo, ut in conviviis, meliora vina in exordio ponantur, quia tunc homo cum sit jejunos vini gustum melius percipit, eoque ita delectatur, ut etiam cum gravi sanitatis sue damno illud ad ebrietatem sumat. Sic quoque daemon mundi fallacias, his, qui a spiritualibus deliciis plane sunt jejuni, obtrudere allaborat, ut licet postea perpetuis tormentis et cruciatibus recompensandæ sint, tamen ab isdem perfrendis, cum salutis dispendio abstinere nolint; de quibus S. Bernardus ait: « Difficile est, imo impossibile, ut « presentibus quibus fruatur bonis et futuris, ut hic « mentem et illic ventrem impleat, ut de deliciis « transeat ad delicias et in celo et in terra glo- « riosus appareat. » Dives ille epulo, *Luc.*, xvi, in aquis dulcibus navigabat, nam ex luxibus quibus indulgebatur, in excessivum divitiarum ejus notitiam facile devenire licet: *Induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*. Mendicus vero Lazarus, inter salsas et amaras mendicitatis et ulcerum suorum undas fluctuabat, et ne quidem de micis quæ canibus copiosissime dabantur, famem suam mitigare poterat: uter vero ex his duobus ad portum pervenit veræ beatitudinis? *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est dives, et sepultus est in infernum.*

c. — *Omnis homo primum bonum vinum ponit, postea quod deterius est.* Sic prorsus se habent mundus et voluptas, quæ rosæ sunt initio, sed postea spinis indequaque obseptæ reperiuntur, quæ subito efflorescunt. Dicere possumus mel ideo in sacrificiis vetitum fuisse, quia licet faucibus sapidum et gratum esse videatur, stomacho tamen nocivum est, quia in eo nutrimentum et excitamentum est bilis, et voluptates ad vivum representat, quæ licet mundus in calice aureo liquore perfusus suavi, hominibus offerat, intrinsicus tamen venenum propinare nimis liquide constat. Unde S. Cyrillus Alexandrinus, *Hon.* 1 de *Fest. Pasch.*, ad nostram eruditionem scribit: « Mellis præterea oblationem « respuit, voluptatis enim hoc quod symbolum est, « dulcis enim videtur adjuncta unicuique peccato

« voluptas, sed exitum bile amariorem sortitur. » Unde, non sequamur modo bona presentia, ne postea destituamur æternis. Mundus enim bona tantum apparentia, non autem vera habet. Sunt veluti scenæ quedam et imagines honorum; et ideo possessores suos non satiant, nec satisfaciunt ipsis. Tertullianus ait: « Omnia imaginaria in « seculo, nihil veri. » Et doctissimus Salmeron, *tom.* VIII, *fr.* xxxii: « Quid est aliud mundus, « quam personata quedam pulchritudo, fictus « blandiens et sardoniosus risus, osculum Judæ, « dulce venenum, fallax spes, verus dolor, Scylla et « Charybdis, mors suavis, manifestam naufragium, « aridum desertum, inextricabilis labyrinthus, con- « fusa quedam Babylonia, tenebrosa Ægyptus, im- « mane barathrum, vallis lachrymarum interior « gehennæ? »

d. — *Postea cum inebriati fuerint, id quod deterius est.* Sic prorsus se habent bona temporalia, quibus cum quasi inebriatus fueris, sen quanto magis augentur, deteriores fiunt, dum insidias et pericula multa post se trahunt. Salvianus Episcopus Massiliensis, de damnis quæ in avaros redundant, scribens, ait: « Feratissimum morbi genus dititiae « conservatæ in malum domini sui. » Et Didacus Stella, in *Luc.*, vi: « Quot sunt qui divitis mortem « expectant et ardenter desiderant, ut ex divitiis « ejus participare possint, quod et ipsimet filii mo- « rosæ mortis parentum suorum frequenter faciunt? « Cum ex divitis morte, » inquit idem Stella, « plu- « rimis emolumentum et lucrum proveniat, a plu- « rimis desideratur et expectatur. » S. Chrysostomus, *Hon.* in *Ps.* lxxvii, ait: « Fluvialium undarum « naturam dititiae imitantur, quæ simul et videtur « et labentur, uno eodemque puncto temporis, et « tenentur et effluunt. » S. Ambrosius, in *Psal.* 1: « Quid prosunt innumere possessiones? Publicæ « sunt non tuæ. Hodie tu tenes, cras alius: cum tu « exieris, alius intrabit; vix movisti pedem, alius « gressus suos intrat. »

e. — *Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc.* Solet Deus animas sibi dilectas aqua tribulationis sæpe ad longum tempus potare servans vinum bonum, id est, præmium gloriæ celestis, in alteram vitam. Unde quisquis passiones et tormenta libenti animo toleravit, per eorumdem merita, viam sibi certam ad cælum complant.

S. Joannes in Apocalypsi, vii, ingentem, et quasi innumerabilem vidit hominum Agnum sequentium multitudinem, cui interroganti quanam et quales ii essent, responsum est: *Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni; ideo sunt ante thronum Dei.* Ex quo manifestum est, nos per multas tribulationes introire in regnum Dei oportere, sicut Apostoli Paulus et Barnabas, in *Actibus Apostolicis*, xvi, 21. Discipulos Christi Lystrenses, Iconienses et Antiochenos sola-

lio confirmaverunt in spe, ut et ipsi per quotidianam penitentiam stolas suas sanguine Agni laverent, et per patientiam eventum liberationis ac celeste palmarium præstolarentur, cum Deus suos non æternum in inquietudinibus relinquit, sed aliquando in ipsorum auxilium intendat, æternæque miseratione colligat.

VERSUS 11.

Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilee, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

1. — Notandum, Christum primum miraculorum suorum ad instantiam suæ sanctissimæ Matris patrasse, ad instruendum nos, ut ad ipsam recurramus, ut ipsa suam in nostris necessitatibus intercessionem apud Filium interponat.

2. — Hugo Cardinalis ait : « Signum hoc, est manifestatio presentie Christi : unde cum tribulatio mutatur in exaltationem, signum est, quod Christus est præsens. »

3. — S. Augustinus hoc primum Christi miraculum fuisse non existimat, siquidem continuo in vitibus aquam in vinum commutat. « Ipse fecit vinum illo die in hydris, qui omni anno hoc facit in vitibus, sed hoc assiduitate amisit admirationem, itaque servavit sibi Deus inusitata quædam, quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad se colendum mirabiliter excitaret. »

Manifestavit gloriam suam.

4. — Jansenius ait : « Aperte ostendit, se esse eum, qui quotannis in vite aquam in vinum convertit. » Cajetanus vero, Christum gloriam, quam interius habebat, manifestasse dicit, ac prout dicit S. Lucas : « *Gloriam suam* : Fulgebant enim intus Deitatis gloria, fulgebant gloria beatitudinis in anima, fulgebant intus gloria divinæ potentie. » Aquam igitur in vinum perfectum convertendo hanc omnipotentie suæ gloriam manifestavit, quæ eousque hætenus occulta fuerat.

5. — Rupertus Abbas Tuitiensis in lib. II, *De gloria et honore filii hominis*, querit : « Creditur forsitan Christum suam manifestatum fuisse, si, prout a diabolo rogatus fuerat, lapides in panem commutasset? » Et respondet : « Nequam, saltem eo modo, quo gloriam suam manifestavit, aquam in vinum transmutando, » reddique rationem : « Ubi enim hoc fecit initium signorum, et sic manifestavit gloriam suam : non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus Evangelista representat, dicens : Et crediderunt in eum discipuli ejus. » Chrysologus, *Serm. clyvi*, ait : « Ubi aqua mutavit naturam, mox patefecit auctorem, et elementorum creator mutatione revelatus est creaturæ. » At vero S. Ambrosius, *Serm. II de Epiph.*, a sensu litterali ad moralem transit, indeque ad Christi gloriam hoc documentum adducit : « Si gloriosus est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in justitiam commutare, et mores potius temperare, quam pocula. »

Et crediderunt in eum discipuli ejus.

6. — Lucas Brugensis B. Virginem miraculum poposcisse dicit, non ex vanæ ostentationis motivo, sed ad divinam Christi gloriam magis declarandum : « Spectavit ante omnia gloriam Filii, non vanam aliquam, sed solidam, quæ inducere homines posset ad amplectendam fidem, qualem oportebat habere in illum omnes, qui servari velent, non ignorans, tempus ostentationis Filii sui vel adesse, vel proxime instare. »

7. — Christus multos quidem discipulos habebat, doctrine ejus auscultandæ avidos, qui tamen, ut Albertus Magnus observat, in fide divinitatis suæ nondum stabiliti erant, adeo ut S. Cyrillus scribat, multos ante hoc miraculum Christum secutos fuisse, ex admiratione sanctitatis ejus : « Sed propter signum contuiti sunt, eum habere virtutem et potestatem majorem quam homines, unde crediderunt tanquam in Deum; » ejus sententiæ etiam S. Thomas super hoc Evangelio esse noscitur.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VIII, VERS. 1

1. Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ.
2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.
3. Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens : Volo, mundare; et confestim mundata est lepra ejus.
4. Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcipit Moyses in testimonium illis.
5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.
7. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum.
8. Et respondens Centurio ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.
9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : veni, et venit; et servo meo : fac hoc, et facit.
10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis : Non inveni tantam fidem in Israel.
11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum.
12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.
13. Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi, et sanatus est puer in illa hora.

VERSUS 1.

Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens.

Cum descendisset de monte.

1. — Glossa dicit : *De monte*, « id est, cum se exinaniret, formam servi accipiens. » In quo sensu etiam S. Thomas, in *cap. v. Matth.*, per hunc montem celum interpretatur : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Quando autem ex hoc monte, celo nimirum per Incarnationem descendit, universum genus humanum peccati lepra infectum, sanitati restituit, a quo tempore secuta sunt eum turbæ multæ, id est, omnes populi totius mundi. Unde S. Paschasius, lib. V, in *Matth.*, ait : « Nisi descenderet per Incarnationem, habitu inventus ut homo iste non ascenderet. » Haymo in *Catena S. Thomæ* in sensu morali verba illa explicat : « Ascendunt, » inquit, « in montem Doctores, cum perfectioribus excellentiora præcepta ostendunt : descendunt vero, cum infirmioribus leviora demonstrant. »

Secuta sunt eum turbæ multæ.

2. — Albertus Magnus, in *Matth.*, hos, qui Chris-

tum secuti fuere, varios in hac sequela fines habuisse considerat; alii enim sequebantur eum ex motivo charitatis et devotionis; alii ex curioso miracula videndi desiderio; alii prædicationis ejus audiendæ gratia; alii, ut sanarentur; alii, ut ejus vitam et mores observarent ad accusandum eum; alii denique ob propriam utilitatem, quæ illis in temporalibus obveniebat, dum panes multiplicabat et datas sibi ab aliis elemosinas inter egenos distribuerebat.

3. — Paulus de Palatio sanitatem, quam Christus multis miserabilibus contulit, devotarum turbarum istarum orationibus magna ex parte attribuit : « Cum multæ turbæ sequuntur, multæ orationes a pro miseris revelandis effunduntur, quibus Deus inclinatur ad suam benignitatem exercendam. »

Additiones.

a. — *Cum descendisset de monte, secuta sunt eum turbæ multæ.* Quid est quod turbæ non ascendunt montem ad Dominum, sed descendentes sequuntur? Ratio moralis est. Ascendit Christus in montem, qui alienus erat ab omni peccato; ascendunt discipuli qui jam Christi Domini doctrina, onus peccatorum deposuerant; et ideo expediti ac præpetes erant, ut ad sublimia intendant. At turbæ